

www.e-rara.ch

**Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginensis presbyteri, Opera quae
hactenus reperiri potuerunt omnia**

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens
Parisiis, 1608**

Stiftung der Werke von C.G.Jung, Zürich

Shelf Mark: Online

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-11127>

Argumentum libri de spectaculis per Iacobum Pamelium.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nimus hoc titulo: De falsa ethnicorum Patientia, de qua & supra aliquid dixit cap. 1. & latius etiam additis scripturis tractat. S. Cyprian. initio sui libri de Bono Patienti. 7.

107. hæc opera cœlestis & vera.] Hic iterum non placet coniectura Rhenan., qua legendum censet: veræ, & opera, neutro genere in plurali accipit; quia vox vel ipso teste, frequenter: opera fœminino genere & singulari numero à Tertulliano pro opere accipitur, ut ipse adnotavit ad illud libro adu. Hermog. Vbi & opera & operæ operator.

108. Domino diabolus æmularetur.] Æmulari (ut recte adnotavit Rhenan.) cum Dativo construit. Justinus lib. 7. Siquidem amisso cui æmulari consueverant, in segnitiam torporemque resoluti. Sic & Fabius loquitur. Sic etiam dixit lib. de Præscript. adu. hæres. æmulæ fidei, & lib. adu. Marc. 5. Christo æmulæ, & lib. de Coron. mil. capite 11. signum æmulum Christo.

109. magnitudinis par.] Tres quidem MS. legunt: magnitudine. verum (ut ante me adnotavit Rhenan.) par cum Genitivo iungere solet. Sic in lib. de Præscript. adu. hæres. A diabolo, scilicet (inquit) cuius sunt pares. & adu. lib. 5. Dicimus (inquit) circumferri ab Apostolo aut creatorem, aut (quod nolit Marcion) parem creatoris. Id in plerisque vocibus adiectum facit, pro Dativo Genitivum usurpans. Similiter dixit lib. adu. Marc. 3. par creatoris, ac: quorum & ipse par sit. Item lib. 5. parem creatoris.

110. lenocinijs negotiantes.] Etiam hæc phrasid est Jureconsultorum. nam teste Ulpiano, de ijs qui notantur infamia. l. Athletas: lenocinium facit, qui quæstuaria mancipia habuerit, sed & qui in liberis (adde ex sententia auctoris uxorem) hunc quæstum exercet.

111. Quæ aucupandis orbitatibus.] Notat (inquit Rhe-

nanus) testamentorum captatores, quos Satyra 12. redarguit Juvenalis: contra quos etiam alicubi, maxime clericos, S. Hieronymus.

112. quæ ventris operarios, &c.] Appellat (inquit Rhenanus) operarios ventris, quum parasitos & alienarum mensarum affectas, quibus nihil aliud magis est curæ quam ut ventri satufiat; tum eos qui se in diuitum clientelam tradunt quibus illi postea abutantur. Nam contumeliosorum patrocinijs nomine, patronos contumeliosos intelligit, quibus tamen ob ventrem replendum clientes, imò propudiosa mancipia, nusquam non obsequantur. Huiusmodi partim satyra quinta, partim nona notat Iuvenalis. Ordinabis sic verba: Quæ, subaudi Patientia, operarios ventris addicit gulæ, hoc est, venundat, siue in nexum dat gulæ; (nam utrumque significat addicere) subiectione libertatis contumeliosis patrocinijs, hoc est subijciendo libertatem contumeliosis patrocinijs. Parasitos & ventris mancipia Græci γαστρί δουλεύοντες appellant; & in Symposiacis Plutarchus, non minus eleganter quam verè, τῆ γαστρί, & τῆ ψυχῆ δουδέντρον vocat.

113. Sed viderint suam.] Sic ex coniectura Dn. Latinij, patientiam namque. Atqui de usu verbi illius: viderint, & viderit, vide Adnot. nostras in S. Cyp. epist. 2. num. 53.

114. sui Præsides.] Sui (inquit Rhenan.) dixit pro: eorum.

115. quam patientia subter ignis exspectat.] Quam (inquit Rhenan.) subaudi patientiam Gentilium, subter id est in inferno, patientia ignis exspectat, id est, æterna damnatio.

116. quam pro nobis ipse dependit.] Ex coniectura Joannis Harrisij Angli, & Dn. Latini Latinij Italij substituiimus: dependit, pro: defendit; eo quod alibi quoque sic loquatur Auctor: cum caro & anima dependitur.

ARGUMENTVM LIBRI DE SPECTACVLIS, PER IACOBVM PAMELIVM.

QUVM iam anno xij. Severi Romæ indicti essent Ludi (de quibus latius in vita auctoris) seculares octavi, quos & imitari solebant reliquæ provinciæ, atque adeo & apud Carthaginem superstitiosa illa (quorum meminit Auctor Scorpiaco aduersus Gnosticos) certamina Græcarum religionum & voluptatum iam celebrari inciperent, in quibus omnis generis Spectacula exhiberi consueverant, ne aut ignorando aut dissimulando quis peccaret, librum hunc ea occasione scripsisse videtur Tertullianus.

- I. Primum autem recenset ethnicorum argumenta duo, tum quod nihil dicebant religioni obstrepere oculorum solatia, cuius contrarium maxime se demonstrare paratum; tum etiam quod Christianus Spectaculis erudiretur, quò facilius vitam contemneret, quasi verò pigeret propter Deum mori.
- II. Item & ijs respondet, qui prætendebant omnia à Deo instituta, & bona omnia, atque adeo & ea ex quibus Spectacula instruuntur; nempe non hoc solum respiciendum, quo omnia sint instituta, sed à quo interpolatore, diabolo nempe, in corruptelam conuersa; alioqui omnes malorum species, quum ex operibus Dei constent, prohibendas non esse.
- III. Iam verò & ad suorum argumentum respondet, qui per scripturas non nominatim denunciari dicebant, hanc Spectaculorum abdicationem, ad hanc speciem pertinere primam illam David vocem: Felix qui non abiit in concilium impiorum, &c.
- III. Nequis autem argumentari illum putet, conuertitur ad principalem auctoritatem signaculi nostri, cum aquam ingressi & Christianam fidem in legis suæ verba professi, renuntiassent nos diabolo & pompis & angelis eius ore nostro cōtestamur; eo quod ex idololatria vniuersa Spectaculorum paratura constet.
- V. Quod comprobatur, primum ex Ludorum origine, qui religionis nomine inter ceteros ritus superstitionum instituti sint, & diebus festis & templis Deorum reputabantur.
- VI. Deinde ex eorum titulis, per quos signatum est, cui idolo & cui superstitioni vtriusque generis Ludi notarentur, tum sacri, tum funebres.
- VII. Ex Apparatibus item eorundem, maxime Circensium; præcedente pompa, de simulacrorum serie, de ima-

de imaginum agmine, quos præcedant etiam, intercedant, succedant sacra & sacrificia; in quibus moueantur collegia, sacerdotia, officia.

Ex locis denique, quippè quum Circus soli principaliter consecratus sit, & singula ornamenta eius, singula templa sint; Non quidem quòd loca nos contaminent, atque adeò extra Spectaculorum tempus adiri possint, sed quæ in locis fiunt. VIII.

Nunc si particulatim Circenses ludos quis discutiât, Dijs deputari, vel elementis; & verò etiam elementorum damnatam idololatriam. IX.

Theatri etiam Apparatus qui ad Scenam spectant, à templis ac aris auficari, & Veneris adem à Pompeio superpositam; itaque & Liberi domum esse: quæ verò voce, modis, organis & lyris transiguntur, Appollines, Musas, Mineruas, Mercurios habere mancipēs. X

Agones & ipsos sacros, vel funebres, aut Dijs Nationum, aut mortuis fieri; apparatus item illorum idololatria conspurcari. Stadio Circum æmulari, & Gymnicas artes Castorum esse, Herculum, Mercuriorum. XI.

Munus denique ab officio dictum quod mortuis faciebant, quos humano sanguine propitiari creditum erat, quum impietatem postea placuit voluptate adumbrare; postea prouecti ad tantam crudelitatem, ut & feris humana corpora dissiparentur, in quorum idolis demonia consistebant. Acerbioribus item Amphitheatrum consecrari demonibus. XII.

Non quòd idolum sit aliquid sed quòd quæ faciunt, demonibus faciant, atque adeò tum & mortui & Dijs vnum sint, vtrique idololatria abstinere debere Christianos. XIII.

At qui non solum idololatriæ, sed & concupiscentiæ seculi nomine, interdici Spectacula. XIII.

Deinde Spiritui lenitatis non posse cum spectaculis conuenire, ubi per æmulationem, furor, bilis, ira & dolor. XV.

Furorem enim maxime in Circo præsidere, populo iam de sponsionibus concitato, vnde & in discordias itur. XVI.

Impudiciæ etiam consistorium, quam amoliri iubemur, esse Theatrum, in quo etiam Tragediæ, & Comædiæ, scelerum & libidinum nutrices. XVII.

Stadium etsi in scripturis nominetur, quæ in eo geruntur, indigna conspectui nostro, & diaboli negotia esse. XVIII.

Amphitheatri denique repudium de scripturis peti, si seuitiam, impietatem, feritatem consideremus. XIX.

Atque ita responsum illis, qui abstinentiam Spectaculorum specialiter in scripturis non determinari argumentantur, sicuti & illis, qui à sole & Deo Spectacula conspici argumentantur, nec contaminari, quum alioqui in illum scelus damnatum censeretur. XX.

Aliam esse ethnicorum rationem, qui pro libidine interpretantur alibi bonum, quod alibi malum, & econtrariò. XXI.

Atque adeò ab ipsis Auctoribus Spectaculorum manifestè artifices damnari capitis diminutione, & arceri honoribus omnibus. XXII.

Quanto magis diuina iustitia in huiusmodi artifices animaduertet, maxime quum faciant quæ scriptura fieri vetant. XXIII.

Sed & præterquàm quòd in baptismo pompam diaboli eiurauimus, ipsorum ethnicorum testimonio Spectacula Christianis interdicta esse, eo quòd Christianum factum intelligant ex repudio eorundem. XXIII.

Neque verò de Deo cogitare posse illic ubi nihil est de Deo, & quale est de Ecclesia Dei in diaboli Ecclesiam tendere: illas manus quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? ex ore quo Amen protuleris, gladiatori testimonium reddere? his & iura alij dicere, nisi Deo & Christo? XXV.

Atque adeò non mirum esse, si eiusmodi demonijs penetrabiles fiant vti duobus exemplis comprobatur. XXVI.

Cum illic nomen Dei blasphemetur, illic quotidiani leones in Christianos expostulentur, inde persecutiones decernantur. XXVII.

Saginentur itaque voluptatibus ethnici, lugeant Christiani, quorum voluptas non in seculo, sed in celo esse debeat. XXVIII.

Neque verò etiam hic voluptatibus carere Christianos multo iocundioribus; Quibus pro Ludis XXIX.

Circensibus intueri liceat seculi cursum, pro scenica doctrina satis sit canticorum, pro pugillatu & luctu. **D**eu agones quibus coronantur; sanguis denique Christi, si sanguinis aliquid velint.

xxx.

Postremo, quale Spectaculum Aduentus Domini in proximo, cum tanta seculi vetustas vno haurietur, tot Reges cum ipso Ioue in imis tenebris congemiscetes cernentur; item Praesides persecutores senioribus quam ipsi senierunt flammis liquecentes; denique qualia illa, quae nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.

Ceterum libri huius nominatim meminit ipse Tertullianus lib. de Habitu muliebri. Nam (inquit) & omnes istae prophanae Spectaculorum secularium voluptates, sicut de ipsis suum volumen edidimus, ipsa etiam idololatria ex rebus Dei constat. Non tamen ideo Circi furoribus, aut harenae atrocitatibus, aut Scenae turpitudinibus Christianum adfici oportet; quia Deus & Equum & Pantheram, & vocem homini dedit. Sic etiam lib. de Coron. militis, non Latino modo, sed & Graeco stylo, se de Spectaculis scripsisse disertis verbis significat, quae in Tomum quintum differimus. Hinc est quod Abbas Thrithe-
mius, et si non vidisset, alioqui initium libri sicuti aliorum descripturus, tamen inter opera Tertulliani librum hunc recenset. Et iam olim ex illo multa descripserunt B. Isidorus Etymol. lib. 18. cap. 16. 27. 28. 29. 34. 35. 37. 42. 43. 53. ac 61. Hrabanus noster De Naturis rerum. Quare optime de Republ. meritis est Gagneus, qui primus in editione Parisiens. in lucem edidit, quippe quum ad intellectum faciat liber iste omnium praeceptorum Auctorum, non sacrorum modo, sed & profanorum, sicuti de Spectaculorum aliquo genere mentionem faciunt. Castigatus fuit deinde per Sigismundum Gelenium multis in locis ex Lelandi Britannico codice; denique nunc postremum emendatur, partim ex Isidoro & Hrabanis & coniecturis quibusdam Latini, in totum autem ex codice Anglico, pie memoriae Dn. Doct. Ioannis. Clementis, viri longe eruditissimi. Adiectis nunc primum & Argumento & Adnotationibus nostris, quibus illustrantur obscuriores loci quamplurimi; usque adeo ut alio de Spectaculis commentario praeter librum hunc post hac non sit opus.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTULLIANI DE SPECTA- CVLIS LIBER.

CAP. I.



QUAE status fidei, quae ratio veritatis, quod praescriptum disciplinae inter cetera secularium errorum etiam Spectaculorum voluptates adimat, Dei serui cognoscite, qui cum maxime ad Deum acceditis, recognoscite qui iam accessisse vos testificati & confessi estis, ne aut ignorando aut dissimulando quis peccet. Tanta est enim vis voluptatum, ut ignorantiam protelet in occasionem, & conscientiam corrumpat in dissimulationem, aut utrunque. Adhuc forsitan alicui opiniones ethnicorum blandiuntur, quae in ista causa aduersus nos ita argumetari consueuerunt: Nihil ob-

CAP. II.
Gen. I.

streperet religioni in animo & conscientia tua tanta solatia extrinsecus oculorum vel aurium: nec vero Deum offendi oblectatione hominis, quae saluo erga Deum metu & honore, suo in tempore & suo in loco frui scelus non sit. Atquin hoc cum maxime paramus demonstrare, quemadmodum isthaec non competant verae religioni & vero obsequio erga Deum verum. Sunt qui existiment Christianum expeditum morti genus ad hanc obstinationem abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contemnant amputatis quasi retinaculis eius, ne desideret quam iam superuacuam sibi fecerint: ut hoc consilio potius & humano prospectu non diuino praescripto definitum existimetur. Pigeat scilicet etiam perseuerantes in tantis voluptatibus propter Deum mori. Quanquam & si ita esset, tam ap-
to consilio, tanta obstinatio disciplinae debebat obsequium. [Iam vero nemo est, qui non hoc quoque praetendat, omnia a Deo instituta, & homini attributa (sicut praedicamus) & utique bona omnia, ut boni auctoris: inter haec deputari vniuersa ista, ex quibus Spectacula instruuntur, Circum verbi gratia, & leonem, & vires corporis, & vocis suauitates. Igitur neque alienum videri posse, neque inimicum Dei, quod de conditione constet, ipsius: neque cultoribus Dei vitandum, quod Dei non sit inimicum, quia nec alienum. Planè & ipsae extructiones locorum, quod saxa, quod camenta, quod marmora, quod columnae Dei res sint, qui ea ad instrumentum terrae dedit: sed & ipsi actus sub caelo Dei transiguntur. Quam sapiens argumentatrix sibi videtur ignorantia humana, praesertim cum aliquid eiusmodi de gaudijs & de fructibus seculi metuit amittere. Plures denique inuenias, quos magis periculum voluptatis quam vitae, auocet ab hac secta. Nam mortem etiam stultus ut debitam non extimescit, voluptatem etiam sapiens ut tantam non contemnit, cum alia non sit & stulto & sapienti